Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 467
Quelle:
Copyright:

ro *Theodoric. Engelhusius* in *Chronico* T. II. *Scriptor. Brunsvic. Leibnit.* p. 1121. sub tempora *Rudolphi* I. Imp. scribit: *Hoc tempore floret Bambergæ Poeta modernior dictus Hugo, qui omnes Poetas in unum redegit, sub pulchra prosa tempus et materiam ipsorum pertractans*, cujus Historiae Poetarum etiam clausulam subdit:

Mille simul cum ducentis annis copulatis
Octoginta simul præsens fit arte registrum.

Nec ea contentus binum quoque ex illa depromit specimen pagg. 1107. et 1110. quorum prius incipit:

Scriptura sacra continet prosaycos scriptores
Quamplures et metricos insimul auctores
Inter quos præcipue Sedulius ponatur
Sibi quidem metrico prima sedes datur &c.

Vides idem rhythmi genus, quo elaborata est Introductio ad *Lauream Sanctorum.* Si itaque *Hugo*, dum a. 1300. *Rennero* finem imponeret, jam 40. annis Scholam suburbanam *Bambergae* rexerat, facile intra hos annos et anno 1280. *Historiam Poetarum*, et aliis alios 10. Libellos cum medio conficere potuit, quos inter et *Lauream* nostram, et Poema germ. *der Sammer* vel *Sammeler*, de quo in clausula *Renneri* ipse meminit. Reliquos octo cum medio vel interiisse, vel etiamnum in Bibliothecis delitescere credibile est. Vix enim ausim *Fabellas* illas, quae typis expressae in Bibliotheca *Guelpherbyt.* extant, et *Bambergae* a. 1461. *finitae* dicuntur, *Hugoni* tribuere. Nam licet τo *finitae* nil aliud hic significare posse, quam *descriptae* arbitrer, uti etiam adstipulatur *Codex Renneri Caes.* qui *completus* dicitur anno 1402. aliis tamen argumentis destituor. Vide, quae de iis ad *Cod.* CCCLVII. notavi.

X. *fol.* 172. praefixo *Hieronymi* in Libro *de Viris Illustr.* testimonio Prophetia *Methodio* Ep. *Patarensi* perperam adscripta, quae *Cod.* DCXXXII. et alibi indicata est. Ad calcem minio: *Explicit liber Metodij martyris et episcopi translatus a Petro in latinum.* Quis hic *Petrus?*

XI. *fol.* 183. p. 2. *Practicacio*, ut e calce praeoccupo, *magistri laurentij doctoris medicine Magistri Domini Reynoldi ducis Gelrensis pie memorie.* Titulus: *Anno Domini M.CCCCXXIIII. vaticinium futurum.* Carmen hexametrum 40. versuum leoninorum:

An-